



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

§. III. Libertas Conscientiæ in vincula conjicitur, & Dominatus Papalis in
Conscientias ab improperiis Bœhmeri vindicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

mihi maximopere suspecta sit, imo, ut probabilitate nituntur, sed perpetuis
mox aperiam, argumenta, quibus ean- contradictionibus, & inanitatibus cere-
dem stabilire conatur, ne tenui quidem brinis vix stolidæ plebi fucum faciunt.

§. III.

*Libertas Conscientiæ in vincula conjicitur, & Dominatus
Papalis in Conscientias ab improperiis Bæbmeri vindicatur.*

SUMMARI A.

23. Ferina est Libertas Conscientiæ. 24. Quæ in Bæbmero multis erroribus obsita ex-
hibetur. 25. Remedium omne respuit. 26. Aliter S. Augustinus erroneæ Con-
scientiæ suæ consuluisse ostenditur. 27. Consilium, & remedium à Clero Romano
non esse petendum, Bæbmerus contendit, ejus temeritas castigatur. 28. Quam
Regulam dirigendæ Conscientiæ Bæbmerus proponat, inquiritur. 29. Dicit esse
Sac. Scripturam. 30. Confutatur. 31. Quis authenticus S. Scripturæ Interpres,
indagatur, & rursus Bæbmeri Sententia reprehenditur. 32. Bæbmerus vult Pon-
tificios in hac doctrina inconstantie arguere, sed itendidem vapulat. 33. Quæ
ergo ex mente Bæbmeri certa fidei norma sit, queritur. 34. Ejus erroneus con-
ceptus revelatur. 35. Bæbmero suadet, ut S. Augustinum in quaerenda verita-
te, & Regula Conscientiæ emuletur. 36. Verum non persuadetur. 37. In an-
gustias redactus Conscientiæ Libertatem pro norma Conscientiæ præscribit. 38. Quod
samen ostenditur, esse contra S. Scripturam, 39. & ex hac libertate natas fuisse
omnes hæreses. 40. Ab ipsis hæreticis repudiatam, 41. & Protestantibus in no-
stro Imperio Germanico. 42. Nec ab ipso Bæbmero defendi. 43. Summe inju-
riam existere Divinæ Providentiæ. 44. Dominatus in Conscientias vindicatur.
45. Nulli Ecclesiæ per vim fidem obtrudit. 46. Ecclesiæ habet evidentia credibi-
litate motiva. 47. Quando Ecclesiæ citra violentiam fidem imperet. 48. In
quos Ecclesiæ gladio, & igne animadvertat. 49. S. Augustinus à Calumnia
Bæbmeri vindicatur, & Dominatus Papalis ab improperiis Bæbmeri absolvitur.

23 **E**st hoc ferarum omnium commu-
ne fatum, ut Libertas, in qua à na-
tura primitus constituuntur, ipsis
damno, & exitio frequentissimè existat;
videas palantes per agros, per nemora,
per saltus discurrere, & cum maximè
Libertatem videntur consecrari, præci-
piti cursu incautas in laqueos incidere,
cujus suæ calamitatis authorem, si fari
possent, quem alium, quam ipsam...
quam cæco impetu sequebantur, & sto-
lide adamabant, ream agerent *Liberta-
tem*. Ita prorsus iis evenire existimo,
qui excusso suavi Christi jugo, contem-
ptisque Ecclesiæ legibus, ipsi sibi in
conscientia sua *Aram Libertatis* erigunt.
Volunt hi Conscientias suas à vinculo
legum adeo esse solutas, ut aliam eis le-
gem poni non posse arbitrentur, præ-
ter illam, quam cujuslibet Conscientia
pro

pro principiis, quibus imbuta est, sibi met præscribit: ex quo consequi necesse est, ut cujuslibet Conscientia & imperet, & insimul pareat sibi, quo Libertatis conceptu quid ineptius excogitari possit, nemo non videt. Ferarum jam latibula lubet excutere, hoc est, Bœhmeri argumenta, quæ pro stabilienda hac Conscientiæ Libertate in laudata sua Dissertatione adduxit, & à nobis supra in §. 1. summa fide relata fuerunt.

24 Jam pone erat, ut pedem nemori inferrem, ecce, videor mihi videre feram, fræni omnis impatientem, è lucu quodam obscuro proflientem, citatissimo cursu per avia, & devia decurrere, quam ex Bœhmero intelligo, Conscientiam erroneam vocitari. Non utique (quod Dii avertant!) ipsius Bœhmeri hæc Conscientia erit? Est omnino ipsissima, siquidem falsissimis principiis imbuta errorem ex errore parit. Rem ocysus declaro. Admittit ille, dari Conscientiam erroneam in §. 7. ex ratione ibidem assignata, quia homines nature corrupta vitio (cujus tamen labis ipse, per DEI gratiam expertus est) non semper facta, vel facienda secundum rei veritatem examinant. Et (quod mireris in hoc homine incorrupto) nec medelam, nec medicum agnoscit, qui sanctæ huic Conscientiæ opituletur: ipsa sibi agrotanti medicus, simul & medicina esse debet. An incredibilia me fari ais? relege, quæ ex Bœhmero in §. 1. hujus dissertationis
25 retuli. Volebat ibi unus aliquis vulneratæ Conscientiæ medicum quærere, suasit agrotanti, ut artis peritum advocaret, morbi statum eidem sincerè exponeret, & boni consilii em-

blastrum patienter admitteret. Atqui Bœhmerus hoc prohibuit, dum scribit §. 8. ejusmodi Consiliarios in THESES tantum quid permissum sit, suadere posse, non autem in HYPOTHESI, an huic, vel illi hoc vel illud permissum sit, fatua hac ratione persuasus, quod, qui consilia circa quæstiones Conscientiæ suppeditant, de intentione, & internæ mentis operatione alterius judicare non possint, cum hæc sit unum de reservatis DEI, qui solus cor intuetur, & intentionem examinat, ideoque admodum intutum est, ab aliis, quid salva Conscientia fieri possit, petere. Quodsi verò Conscientia errorum fluctibus jactata illum ipsum statum, quem intra semetipsam agnoscit, forinsecus aperiat (neque enim id impossibile esse quisquam dixerit, ut intima animi sensa alteri patefaciamus) anne hoc casu consultum haud erit, consilia peritorum quærere, in excutiendis erroribus, eorum judicio stare, veritatem illis manudentibus inquirere? Non, inquam, hoc consultum est, reponit Bœhmerus cit. §. 8. Nam sub pretextu consiliorum laicis fræna injiciuntur, ut de quæstionibus, Conscientiam tangentibus decernere non possint, sed à Cleri decisu, & arbitrio dependere cogantur. Ergone fluctuanti Conscientiæ, ubi agitur de æterna felicitate aut perdenda, aut obtinenda, à magistri ore, nutu, consiliis dependere, malum sit? Quid violentiæ patitur, qui consilium Sapientis sequitur? Via stulti (ait Sapiens Prov. 12. v. 15.) recta in oculis ejus: quæ autem Sapiens est, audit consilia. Et iterum: Qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur Sapientia. Prov. 13. v. 10. Alterius longe mentis fuit 26

S. Augustinus, qui, ut familiari suo HONORATO, *Manicheorum* falsissimis dogmatis dementato, errorem eximeret, quid aliud suavit, toto libro, quod *de utilitate credendi* ad eum scripsit, quàm ut tales magistros quæreret, qui *Manicheorum* fallacias, & imposturas detegendo, limpida, & sinceram fidei Catholicæ veritatem ipsi exponerent. *Quærendi sunt*, inquit, *hujus rei Professores*, Hac quippe via Augustinus, qui & ipse antea adulterinis *Manicheorum* principiis depravatus erat, ad veræ fidei agnitionem se pervenisse fatetur: *ut enim à vobis* (scribit Honorato) *trans mare abscessi, jam cunctabundus, & hesitans, quid mihi tenendum: quid dimittendum esset: Que mihi cunctatio indies major oboriebatur, ex quo illum hominem FAUSTUM* cujus nobis adventus, ut nôsti, ad explicanda omnia quæ nos movebant, quasi de cælo promittebatur, audivi. Quid emolumentum erranti Conscientiæ Augustini attulerit, audivisse AMBROSIIUM prædicantem, ipse eod. lib. palam facit: *Jam ferè me*, inquit, *commoverant nonnullæ disputationes Mediolanensis Episcopi, ut non sine spe aliqua de ipso vetere testamento multa quærere cuperem, quæ ut scis, malè nobis commendata execrabamur.* Ita profectò est, haud melius Conscientiæ erroribus implexæ consulitur, quàm probi Magistri ductu, & consilio.

27 Sed hoc consilium (ait Bœhmerus) non est petendum à Clero Romano; hic enim in more habet, non consilio (quod *sequendi Libertatem* relinquit) erranti Conscientiæ succurrere, sed præcipiendo in eam dominatur, obtrudit per vim & coactionem *credenda*, cum tamen *fides* duntaxat per doctrinam sua-

dendo, exhortando, non imperando proponi debeat. Calumnia hæc est, quàm impudenti mendacio in nos jactis. Nemini Ecclesia Orthodoxa per vim *fidem* obtrudit, sed si qua violentia, coactione, aut pœnarum supplicio in quosdam hæcenus usâ fuit, non alii fuere, quàm qui agnita etiam veritate, errorem suum cum pertinacia tueri volebant. Audiatur rursus *S. Augustinus cit. lib.* qui, quod Bœhmerus nobis objectat, vulgare, & commune hæreticorum omnium convitium esse, scribit: *Profitentur hoc omnes heretici, eoque Catholicam maxime criminantur, quòd illis, qui ad eam veniunt, præcipitur, ut credant: se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur.* - - Hoc enim faciunt nullo robore præditi, sed ut aliquam concitent multitudinem nomine RATIONIS: qua promissa naturaliter anima gaudet humana, nec vires suas, valetudinemque considerans, sanorum escas appetendo, quæ male committuntur nisi valentibus, irruit in venena fallentium. Nam VERA RELIGIO SINE QUODAM GRAVI AUCTORITATIS IMPERIO INIRI RECTE NULLO PACTO POTEST.

Sed redeo ad Bœhmerum, & quæ- 28
ro: si adeo tutum non est, Conscientiam suam credere alieno ductui; unde ergo illa lumen petet, quo seipsam sine erroris offendiculo intueri, ac clarè perspicere queat, num *acta*, aut *agenda* ad amissim primæ veritatis colliment, eique consentanea sint, nec ne? An 29
S. Scriptura pellucidum, & minime fallax illud speculum est, in quo cujuslibet Conscientia, & errores, si quibus irretita est, detegere, aut, si quidem, recta est, rectitudinis suæ principia sole
cla-

clarius intueri valeat? Ita quidem sentire videtur, dum scribit §. 21. *DEUS ex benignitate singulari verbum suum nobis dedit, singulisque publicavit, ut in eo, tanquam speculo quodam nos intueri, & mentis nostræ falsas, fraudulentasque persuasiones cognoscere queamus. Non dedit ideo Scripturam Sacram, ut ab aliorum decisione dependeamus sed ut ipsimet eam scrutemur, & viam salutis in ea investigemus.* Si hæc propositio tam vera est, quam liberè à *Bœhmero* enuntiatur, qui ergo sit, ut inter tot sectas, quæ olim fuerunt, & hodie sunt, quarum quælibet *Sacram Scripturam* scrutatur, & viam salutis (sua quidem opinione) in ea investigat, tam diversa, & opposita de ejus sensu habeantur judicia, tam dissonantes interpretationes quotidie procedantur? Jam per duo sæcula, & quod excurrit, *protestantes, & reformati*, ut *Mysterium Evcharisticum* evolvant, lucidissimum hoc speculum, *S. Scripturam* inquam, inspiciunt: illi *realem* Christi præsentiam in actuali sumptione vident, isti nudam tantum *figuram*. Profectò aut isti, aut illi errant, aut utrique: aut illud consequi necesse est, quod *S. Scriptura* speculum illud non sit, in quo cuilibet intuenti veritas mox occurrat, aut error Conscientiæ actutum patefiat. Dic mihi *Bœhmer*: erratne *Calvinista*, qui negat *realem* Christi præsentiam in *Evcharistiæ* sumptione? errare omnino dices, quia ex *S. Scriptura* certo constat, ais, in actuali sumptione panis *Evcharistici* summi insimul *Corpus Christi realiter* præsens: At verò *Calvinista* replicat, se eodem tempore *S. Scripturam* rimatum fuisse, sed nil aliud reperisse, quam pa-

nem *Evcharisticum* ut aliquid *præfigurativum* tantum præsentia Christi, ideòque te, tuosque erroris damnat. Quæ igitur fiducia scribere ausus es, in *Sac. Scriptura* quemque *falsas, fraudulentasque persuasiones cognoscere posse*? Fortè dices, *Calvinistas* non benè comparatò animo ad legendas *S. Scripturas* accedere, ac propterea mirum non esse, quod illi oculos habeant, & non videant. Sed idipsum tibi objectabit *Calvinista*, teque tuismet verbis confutabit; dum scribis §. 11. *DEUS* singulis dedit *intellatum & vim ratiocinandi, ut possint Scripturas Sacras scrutari, & ductu rectæ rationis de iis statuere, quæ agenda sunt.* Si ergo singulis dedit *Scripturas* intelligere, etiam *Calvinista* dedit: aut ipsis improperebis, quod non *ductu rectæ rationis de Sacra Scriptura sensu* statuunt? condemnabunt eodem te crimine, si iniquus adedò in ipsos *judex* extiteris. Quid ergo sequitur ex tua propositione? hoc, quod non quivis, qui *Sac. Scripturam* inspicit, veritatem videat, non vitio ipsius veritatis, quæ ibidem, velut in cortice nucleus, recondita latet, sed lippitudine oculorum, qui, sua acie, quo pertingere non possunt, penetrare tamen se posse temere confidunt. Plena periculi alea est, suo unius oculo fidere. Sine luce Divina *Mysteria* non videntur, sine duce tutò non investigantur. Audi, quid *Princeps Apostolorum* occasione *Epistolarum D. Pauli* nobis insinuet: in quibus (*Epistolis Pauli*) sunt quedam *difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* 2. *Petri* 3. v. 16. in hisce autem intellectu difficilibus neminem ullum sibi fidere debere, idem

idem Christi Vicarius paulò ante asseruit, nempe *cap. 1. v. 20. Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ PROPRIA INTERPRETATIONE non sit.* Si ergo sensus S. Scripturæ propria interpretatione non eruitur, quomodo verbis tuis Bœhmere, fides constabit, dum confidenter scribis: *DEUS singulis dedit intellectum, & vim ratiocinandi, ut possit scrutari Scripturas Sacras, & ductu recte rationis de iis statuere, quæ agenda sunt?* Temeritatem hujus tuæ propositionis discite ex S. Hieronymo, qui Paulino suo ita scribit: *Tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant - - - hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc soppista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discunt.* Ex hac Libertate interpretandi, quam cuilibet privato concessam esse contendis, natas fuisse hæreses, & priorum sæculorum fasti, & præsentis temporis calamitas abunde demonstrat. Audiatur rursus S. Augustinus *Tract. 18. in Joan.* *Non natae sunt hæreses, inquit, nisi cum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere, atque audacter asseritur.* Quapropter ingenuus quisque cum Eunuchò illo *Ca. 16. v. 31. Putasne, intelligis, quæ legis? & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*

31 Quis ergo ille authenticus Verbi Divini interpres, qui, ne fallatur, & in errorem inducatur Conscientia nostra, genuinum ejusdem sensum, & quæ dogmata fide Divina credenda sint, luculenter exponat? Pontificii, respondet Bœhmereus §. 10, *hoc judicium deserunt*

Ecclesiæ. An malè? Ecclesiæ equidem ipsius Christi testimonio *columna veritatis* est, adversus quam portæ inferi nunquam prævalere poterunt. Est schola *Spiritus Sancti*, in qua ipse Magister veritatis pro cathedra sedet, & sacra *Ænigmata* ipsi exponit. Est electa *Servatoris nostri Sponsa*, quacum is semper est, eritque in sæcula, nullum igitur errandi periculum est. Si quis ab ejus ore, & nutu dependeat, ejus doctrinam, ab Apostolis hautam, continuata sæculorum serie ad nos usque traductam, amplectatur, veterum Patrum consensum, qui, ut notat Illustrissimus Bossuet *Instruction contre la version du Nouv. Test. de Trevoux pag. 202.* præcipuus canalis est, per quem Ecclesiæ genuinum Scripturæ sensum ad nos usque derivat, pro authentica Verbi Divini interpretatione agnoscat, & recipiat. Ab hujus Ecclesiæ unitate dum se temerario ausu separarunt *heretici*, inde mera confusio, & perpetua aberratio secuta est, ut totidem jam dentur Scripturæ expositiones, imò totidem Religiones, quot capita; id quod graviter notavit Vincentius Lirinensis, dum dixit: *Idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica, & Apostolica interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.*

Quid ad hæc Bœhmereus? *Ipsi Pontificii, ait, sibi non constant in hac doctrina, uti præsens Controversia de suspectis doctrinis Quesnelli, quos Papa damnavit, docet.* Infirma prorsus est hæc oppositio. Fuere quidem (non diffitemur) qui illam famosam Constitutionem *UNIGENITUS*, qua felicissimæ recordationis *CLEMENS XI. P. M.* An-

no M.DCC.XIII. die 8. Septemb. *QUESNELLI* centum & unam Propositiones anathemate confixit, nolebant recipere, attamen id non ea intentione ab illis factum est, quasi authoritatem S. Pontificis in dubium vocare vellent, sed quod erronea persuasione inducti existimarent, illas quoque doctrinas, quæ hæcenus juxta mentem S. AUGUSTINI, & D. THOMÆ AQUINATIS in Scholis, & Academiis Catholicis absque ulla Censura traditæ fuerunt, unâ cum *Quesnelli* Propositionibus fuisse damnatas; unde dictus Pontifex litteris ad universos Christi fideles die 1. Septembris Anno 1718. datis, quæ incipiunt: *Pastoralis Officii* &c. declaravit, suæ intentionis haudquaquam fuisse, receptas illas *Augustini & Thomæ Aquinatis* Sententias sub reprobatis *Quesnelli* Propositionibus comprehendere. *Ceterum* (sunt verba dictæ Epistolæ) in hoc ipso præpostero judicio consuetum, calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim eos excæcarent malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent, Sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam, & liberè in Catholicis Scholis, etiam post editam à nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse prosriptas. Qua verò Religione, & obsequii testificatione illam Bullam *Unigenitus* Archiepiscopi, Episcopi, totusque Clerus *Gallicanus* receperit, liquido constat ex litteris *Nonis Februarii* 1714. ad eundem Pontificem datis, quarum initium sic habet:

BEATISSIME PATER! Quod olim uni Antecessorum tuorum Pontifici ex-

cellentissimo scribebat unus ex Antecessoribus nostris doctrina, & pietate conspicuus, *POLLICERI SE SECURUM DE TOTIUS GALLIÆ DEVOTIONE SUPER STATU FIDEI CAPTARE SEDIS APOSTOLICÆ SENTENTIAM*, idem nos ultro hodie Sanctitati vestræ pollicemur, ac renovamus obsequium. Quam improvide, igitur, ne dicam, impudenter *Bœbmerus* scripsit: Pontificios sibi met non constare in hac doctrina. Sed indulgendum est hoc vehementiæ dolorum, quos partui jam proxima *Libertatis* puerpera, *Bœbmerus*, perlentificat.

Uterius jam progrediamur. Quam ergo normam certam, & infallibilem ipsi *Protestantes* Conscientiæ præstituant, qua se vel laqueis errorum extricare, aut, ne in illos incidat, præcavere sibi possit? *Protestantes* quidam, (non sine stomacho reponit *Bœbmerus* cit. §. 10.) *Decisionem Cleri, & Principis, quidam solius Principis* desiderant. Utrumque ipsi displicet. *Non penetrant*, inquit, *ejusmodi leges ad intellectum, ut aliter rem concipiat, aliterque credat, quàm interna mentis contestatio ipsi dicitur*. Unde necesse foret, ut quis ageret contra dictamen Conscientiæ suæ, id quod tamen ex omnium Theologorum Sententia sine peccato fieri non potest. Ad-
32
33
34
verto jam, ubi ulcus in Conscientia *Bœbmeri* lateat, de credendis vult prius rationibus convinci, & ita persuaso intellectu fidei assentiri, verbò, prius vult SCIRE, & deinde credere. Sed hoc est fidei conceptum evertere, fides enim non ratione investigatur, sed auctoritate dicentis tenetur. Quod intelligimus, ait S. Augustinus lib. de utilit. cred. debemus rationi: quod credimus, auctoritati. Si autem illud distinxat credere

dere volumus, quod mente comprehendimus, ratione assecuti sumus, fidei meritum amissimus. *Nec fides habet meritum*, ait Gregorius Homil. 26. *Cui humana ratio præbet experimentum*: sin vero, quod nescitur, credendum non est, ne quidem dari amicum in mundo credam. *Nibil sine cognitione esse credendum, qui possum dicere?* ait S. Augustinus cit. lib. *Cum & amicitia, nisi aliquid credatur, quod certa ratione demonstrari non potest, omnino nulla sit, & sepe dispensatoribus servis sine ulla culpa dominorum credatur.* Id quod ulterius cit. S. Doctor exponit: *Quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest: sed interposita matris auctoritate de patre creditur: de ipsa verò matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari fillus potest, aliisque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, & sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur, quanto ergo magis in negotio Religionis illud credere debemus, non quod propria rationis investigatione tenemus, sed quod auctoritas eorum nobis comendat, quibus refragari ipso Christi Oraculo nefas est, utpote qui dixit: *Qui vos audit, me audit.* Rursus audiatur S. Augustinus sepe cit. lib. *In Religione verò quàm iniquius fieri potest, quàm, ut DEI Antistites nobis non factum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere?* Si nôsse placet, quorum auctoritate S. Augustinus ad credendum persuasus, & ad fidem orthodoxam amplectendam inductus sit. (nam & ille olim in eodem luto hæsit, quo etiamnum Bæbmerus, hoc sole*

discrimine, quod ille MANEM, unde secta *Manichæorum* orta, hic LUTHERUM seductorem nactus sit) ipse Honoratum familiarem suum alloquens, & ad ejusdem fidei agnitionem alliciens, his verbis explicat cit. lib. *sine paululum mecum ipse considerem* (quoniam Christum ipsum, quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi) quibus de illo crediderim, ut ad te jam tali fide præstructus accedam. Nullis me video credidisse, nisi populorum, atque gentium confirmata opinioni, ac fame, ad modum celeberrima: hos autem populos Ecclesiæ Catholice Mystera usquequaque occupasse. Ecce hac via Augustinus erranti Conscientiæ remedium invenit! sequere ergo Bæbmere Augustinum, quærentem, qui secutus es errantem; si fors ideo ejus vestigia legere erubescis, quod orthodoxæ Ecclesiæ columna sit, non pudeat te eundem sequi, vel ex hoc capite, quod secta quoque vestra eundem suum faciat. PAPPUS nomine, unus ex præcipuis vestris Verbi DEI Ministris ait: *S. Augustinus in Lutheri schola educatus, verus Lutheranus fuit.* Florimundus Remondus de *Origine, incremento, & decremento hæresum part. 3. cap. 11.* quod quidem stultissimum commentum, quanquam risu, & cachinno explodendum sit, contra Bæbmerum tamen mihi suppeditat hoc argumentum: si AUGUSTINUS Lutheri discipulus fuit, neque tamen Magistrum suum salva Conscientia se sequi posse agnovit, quid moraris Bæbmere, quin repudiata *Libertate Conscientiæ*, à pseudo-Magistro tuo *Lutbero* adeo adamata, cum *Augustino* te Ecclesiæ orthodoxæ vinculis mancipes? Non 36 pos-

possum, inquis, agere contra Conscientiam, bene est: potes tamen deponere Conscientiam. Replicas: non sum convictus. Convincat te ratio, exemplum, auctoritas *S. Augustini*: convincat te unanimis Patrum consensus. Convincat te Ecclesiæ autoritas, qua sine nec Evangelio *Augustinus* credere voluit. Sed frustra sum. Bœhmerus nec *Sac. Scripturæ Conscientiam* suam credit, quanquam illam speculum pellucidum esse §. 19. dicat, in quo quisque *falsas, fraudulentæque persuasiones* cognoscere queat, nam hoc lumen ei rursus aufert, §. 10. ob varias, & oppositas interpretationes, quas de ejus sensu, & intellectu quælibet secta sibi format. Non rationi confidit, ex eodem Capite. *Nemo enim* (ait §. 10.) *à recta ratione alienum se quid agere, aut constituere credit, sibi aliisque persuadere conatur, sua principia, præcepta, regulasque vivendi rectæ rationi, & Verbo Divino congruere, ceterorumque interpretationem peccare, erroneam, falsamque esse.* Doctorum, ut ut Religione & Sapientia quàm maximè conspicui sint, consilia respuit. Ecclesiam *Romano-Catholicam* non audit, quia hæc, ait, fidem per *vim, & coercionem*, obtrudit, cum tamen fides duntaxat *sua*deri, nullatenus *imperari* possit. Decisiones *Principis, & Cleri* etiam intra suam Sectam non admittit. Quam igitur normam Bœhmerus præstituat, secundum quam tuto, & secure agat conscientia, & se ab erroris contagione immunem præstet, si nullum ex his, quæ adduximus, momenti ei præsidio esse possit? id Consilii ipsi succurrit, quod in desperatis causis, ut ut quam minimum profit, probari solet. *Sentiant, inquit, credant, agantque singuli se-*

cundum principia, quibus imbuti sunt, putantque se coram DEO hoc modo ita agere, & sentire posse, & debere; in hoc quippe videtur consistere LIBERTAS CONSCIENTIÆ. Hic est ille partus, qui tot genitores habuit, quot Hæresiarchas hæctenus Ecclesia vidit. Unde Bœhmerus in hoc puerperio obstetricis magis, quàm parentis officium facit. Quodsi verò nunc ostendero, hanc *Conscientiæ Libertatem* repugnare I. *Sac. Scripturæ*, II. esse matrem omnium hæresum, III. ab ipsis hæreticis repudiari, IV. à Protestantibus in Imperio, non agnosci. V. Ab ipso Bœhmero proscribi, VI. Divinæ Providentiæ, & Sapientiæ crimen inferri per Sacrilegam hanc libertatem, neminem futurum existimo, qui in meam non abeat Sententiam, ac monstruosam hanc *Conscientiæ Libertatem* vincula mereri, suo quoque Calculo confirmet.

Atque ut à SS. Paginis exordiar, 38 missis sexcentis aliis, illum duntaxat locum ad *Ephes. 4. v. 5.* adduco, ubi ita Apostolus: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Si una tantum est fides juxta Pauli Oraculum, quis sibi persuadeat, quod inter tot sectas DEUS voluerit relictam esse *Conscientiæ Libertatem*, credendi, quod quisque secundum principia illius sectæ, cui addictus est, credendum esse opinatur? Hanc unicam fidem inquirere necesse est, quisquis salutem æternam invenire anhelat: ideo ait Apostolus *cit. cap. v. 11.* *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Ut quid tot ministros Christus constituit? Audi rursus Apostolum in consequentibus verbis respondentem:

ad Confirmationem Sanctorum, in opus ministerii, in adificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei. Quodsi subinde omnis horum ministrorum labor eò spectat, ut in unitate fidei coadunemur, quomodo jam poterit esse relicta Libertas cujuslibet Conscientiæ, sentiendi, & credendi, quod secundum principia, quibus semel imbutus est animus, credendum esse opinatur, cum hoc pacto (sectis adeo à se invicem dissidentibus) nunquam evenire poterit, ut in unitatem fidei colligamur. Verba jam Cornelii à Lapide, in Comment. ad hunc locum Pauli adscribere placet. „Una est fides, quæ
 „ad DEUM, & salutem nos ducit, non
 „multa; unus est Dominus, non mul-
 „ti; plæne ergo aberrant, & in errorem,
 „ac æternam perniciem abducunt po-
 „litici, & libertini nostri, qui tam in
 „fide Lutheri, Calvinii, Memmonis, &
 „quavis alia, quàm in una vera Ca-
 „tholica Romana fide salutem suis pro-
 „mteunt: certum enim est, has non
 „unam esse, sed alias, & alias fides:
 „Apostolus autem docet, unam tan-
 „tum esse fidem veram, quæ recta est
 „ad salutem via. Unde sequitur, alias,
 „& diversas ab hac fide, imo illi con-
 „trarias, non fidem, sed perfidiam es-
 „se, quæ ducit non ad cælum sed ad
 „gehennam. Hæc citatus interpretes.

39 Ex Libertate Conscientiæ, ceu pullum ex ovo, exclusas fuisse hereses, quotquot hæctenus orbis vidit, demonstrare operosum haud erit. Quid enim est heresis, quàm perversa, & ertonea doctrina doctrinæ Christi contraria, quæ aliud credendum esse dicit, quàm quod Christus credendum esse constituit. Unde autem depravata ejusmodi do-

gmata, dogmatis Christi contraria, originem suam duxere, quam à Libertate Conscientiæ, qua cuilibet credere fas esse judicatur, quod secundum principia suæ sectæ, credendum esse opinatur? aut negas fortassis id heresim esse? infero ego: ergo nequidem dantur hereses (quod tamen est contra Apostolum 1. Corinth. 11. v. 19. dicentem: Oportet & hereses esse) cum nemo præsumatur scienter errorem velle complecti, quin potius (quod certe Bœbmerus non abnuet) quisque apud se ita persuasus est, illa dogmata, tanquam fidei articulos esse credenda, quæ secta illa, cui fidem dedit, pro talibus habet, & agnoscit. Unde illud consequi necesse est, quod diximus, quod scilicet ex Libertate Conscientiæ omnes natæ sint hereses, illaque monstrorum horum foecunda parens extiterit: sicut autem heresis tanquam fidei Christianæ destructiva excindendi debet, ita Conscientiæ Libertas, quæ mater est heresum, tolerari haudquam potest.

Quos motus sacrilega hæc Conscientiæ Libertas inter ipsos diversorum studiorum heterodoxos excitaverit, homini in re Historica non peregrino peregrinum non est. Non recensere vetera, cum nostrorum temporum exempla abundè suppetant. Notissima est Historia vel ipso Bœhmiero teste §. 34. illius dissidii, quod Lutheranos inter, & Zwinglianos ratione S. Cæne vehementissimè exarserat, dum, quam illi in sumptione Evcharistiæ realem Christi præsentiam adesse affirmaverant, illi ex adverso præfractè negârunt. Lutherani præter complures Libros, Dialogos, Confessiones, Epistolas in odium Zwinglianorum emissas, multas insuper ha-

habuerunt Synodos, quibus de opprimendis Sacramentariis aditârunt, quin multi eorum se quoque Catholicis junxerunt, ut Zwinglianos facilius opprimerent, in quos tanquam pestilentissimos hæreticos acerbè invehebantur, eisque aqua & igni interdicebant: nec erant contenti, nisi omnes expresse profiterentur, non se tantum, sed etiam impios Corpus & Sanguinem Christi corporaliter & substantialiter manducare. Si quis jam quærat, unde ejusmodi simultates ortæ sint? quam aliam causam reddemus, quàm Libertatem Conscientiæ, quippe qua factum est, ut Zwingliani sibi integrum fore existimarent, realem Christi præsentiam in Evcharistia audacter inficiari, quam tamen toto spiritu, omnique animi contentione Lutherani propugnabant. Inde odia, simultates, & bella. En fructus pacis, quos parit Libertas Conscientiæ.

41 Quid de Confessionistis, sive Protestantibus in nostra Germania dicam. Libertatem Conscientiæ, quam sibi contra Catholicos strenuè vindicabant, invadebant Reformatæ Religionis alumnis, persequabantur eos Lutherani, expellebant, à pace excludebant, ut hujus Historiæ locupletissimus rursus est testis Bœhmerus cit. §. 34. & seqq. Et quantum is horum errorem elevare, & excusare conetur, dicendo: Sunt in quavis Ecclesia turbidi, spiritum persecutionis gementes, & dissentientium hostes insensissimi, attamen hæc non ipsi Religioni, sed malitiæ hominum adscribendum est. Frigida tamen est hæc excusatio: has turbas quis alius furor excitavit, quam ille, quem Libertas Conscientiæ recens parta accendit?

Ut arma quoque ex domo rei pe-42 tam, ac Bœhmerum suismet telis configam, verba ejus admetior, quæ scribit §. 7. Communis sensus docet, intellectum admodum seduci à voluntate, ejusque impulsu, ut aliter sepe rem concipiamus, quàm reverà sese habeat. Et ne credamus, malum hoc particulare esse, & hanc deviationem unius, vel alterius hominis vitio fieri, ipsam hominis indolem generaliter ita esse vitiatam in subsequentiis verbis declarat: Homines natura improbi sunt, & morbo innato laborant, ob quem, ductu concupiscentiarum suarum facta vel facienda pessimè, minusque rectè inspiciunt, nec secundum rei veritatem examinant, imo nequidem certam Conscientiam de iis sibi formare possunt. Unde ego jam infero: si tanta est corruptio humanæ naturæ, & in errores inclinatio, qui fieri posse existimem, ut huic malo medeatur Conscientiæ Libertas? Si homines à concupiscentiis suis illecti, sæpissimè in transversum aguntur, ut facta vel facienda pessimè inspiciant, an non in profundiores errorum vortices se præcipitabant, si liberum ipsis sentiendi, & credendi arbitrium relinquatur? Ferociens equus laxato fræno quò non ruit? Scribit Bœhmerus §. 9. Solam RECTAM Conscientiam normam agendi esse debere, quia hæc demum rectè judicat secundum veritatem principiorum. Sed quis ille, qui rectè judicat secundum veritatem principiorum? Lutherus sibi hoc judicium vendicat, vendicat sibi quoque Calvinus, Zwinglius, Montanus. Quomodo autem hos omnes rectè judicare secundum veritatem principiorum dixeris, qui in ipsis principiis quàm maximè sunt discordes, ita,

C 3

ut,

ur, cum ex contradictoriis unum necessario *falsum* esse debeat, etiam horum Heterodoxorum principia simul *vera* esse non possint. Hoc autem pacto, quomodo *Lutherus*, aut *Calvinus*, aut reliqui hujus furfuris Novatores persuasi esse possunt, se recte judicare secundum veritatem principiorum? sic ergo apparet, quod *recta* Conscientia cum *Libertate*, à quo hæc principiorum, & quæ secundum illa regulantur, judiciorum diversitas ortum trahit, simul stare non possit.

- 43 Denique ex *Libertate Conscientie*, quam ventosa declamatione super astra Bøhmerus effert, illud absurdi sequitur, quod Divina Providentia deficiat in necessariis; quod sic ostenditur: DEUM veram, eamque unicam salvificam Religionem instituisse, qua ab hominibus coli petit, nemini indubium est: ergo debuit etiam ordinasse media, signa, & argumenta idonea, quibus facile vera illa Religio à Sectis falsis discernatur: Frivolum quippe foret, proponere finem, & nihil certi statuere de mediis, quibus ad illum pervenire oporteat; atqui admissa *Libertate Conscientie* similia signa, media, & argumenta veram Religionem discernendi à spuria, Divina Providentia non videtur instituisse: ergo. Primum Enthymema per se liquet. Subsumptum ita demonstro. Stante *Libertate Conscientie* liquido non constat, quænam ex tot Sectis vera illa à Christo instituta Religio sit; cum hæc ipsa incertitudo causa sit, cur Bøhmerus velit, cuilibet liberum sentiendi, & credendi arbitrium esse relinquendum; quodsi enim certò constaret, Sectam v. g. *Lutheri*

esse illam veram Religionem, in qua DEUS se coli petit, jam *Calvinista* liberum amplius non foret credendi, in sua Secta haberi fidem salvificam. Aut enim pro Secta *Lutheri* extant signa illustriora veræ Religionis, quàm pro Secta *Calvini*? aut sunt prorsus æqualia? Si prius dixeris: quomodo liberum sit *Calvinista*, secundum Sectæ suæ principia sentire, & credere, cum certiora suppetant signa, & argumenta pro vera Religione ipsius Sectæ *Lutheri*? ubi enim de fide salvifica quaeritur, non est locus opinionibus, cum non versemur in materia *topica*, ubi alterutri parti assentiri intellectui integrum est. Sin autem contendas, pro utraque Secta *Lutheri*, & *Calvini* æqualia prorsus signa apparere, jam nullum superest medium, quo possit *vera* Religio à *falsa* discerni: unde conficitur, admissa *Libertate Conscientie* Divinam Providentiam deficere in necessariis, imo infinitam DEI sapientiam sibi manifestè contradicere: ut quæ veram Religionem hominibus colendam, tenendam præcipit, illius tamen præ cæteris signa satis explorata non exhibet. Cepisti hæc argumenta Bøhmere? Ecce tam impiæ, tam sacrilegæ, tam blasphemæ sequelæ ex tuis falsissimis principiis fluunt, quibus *Libertatem Conscientie* stabilire frustra contendis. Appositè huc verba Lactantii de *Orig. error. lib. 2. cap. 6.* quadrant: *Semper argumenta ex falso petita ineptos, & absurdos exitus habent.* Malesuada ergo *Conscientie Libertas* conjiciatur in vincula, & malesanus ejus author aut fautor in pistrinum detur. Furat ibi, per me licet, & vociferetur:

UT

UT QUID ENIM LIBERTAS MEA JUDICATUR AB ALIENA CONSCIEN- TIA. 1. Corinth. 10. v. 29.

44 Quo *Dominatum* in Conscientias quam à Papa, ejusque Clero non sine tyrannide exerceri, stentoria dicacitate Bœhmerus iterum, iterumque clamat, ab impactis impropriis vindicemus, & infimul impudenti huic declamatori mendax os occludamus, duo breviter demonstranda sunt. I. Nemi- ni fidem ab Ecclesia per vim obtrudi, nec quemquam ad fidem orthodoxam amplectendam *invitum* compelli. II. Supplicium, si quod de hæreticis retroactis sæculis ab Ecclesia, & Ortho- doxis Principibus sumptum est, justifi- simè sumptum fuisse.

45 Quod igitur I. punctum attinet, à primis nascentis Ecclesiæ exordiis ad usque moderna tempora hæc doctrina, & praxis obtinuit, ut nemo alicui Pro- positioni assensum fidei Divinæ præstare teneatur, antequam ei motiva *credi- bilitatis* taliter fuerint proposita, ut prudenter persuasus sit, aliter nec credi posse, nec debere. Audiatur *S. Thomas* Scholarum nostrarum Theologicarum lucidissimus Phœbus 2. 2. Q. 1. art. 4. ad 2. *Non crederet quis (ait) nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Est hæc doctrina omnino conformis Evangelio. *Joan. 15. v. 22.* Christus de iis, qui non credebant, ait: *Nunc autem excusationem non habent*, scilicet, post- quam fides in verum Messiam ex mo- tivis exhibitis evidenter illis apparuit credibilis, & tamen non crediderunt. Eousque ergo non credentibus locus

est excusationi, quoad intellectus de motivis *credibilitatis* plenè fuerit persua- sus: semel autem persuasus, & convi- ctus intellectus, de veritate sibi ab Ec- clesia proposita hoc suum judicium, deinceps proponit voluntati, quæ quasi dulci quodam fascino illecta, amicissi- ma imperii reciprocatione intellectui imperat *assensum fidei*, quo fit, ut intel- lectus ejusmodi propositioni citra ul- lam vim, aut coactionem omnino li- berè, & voluntariè assentiatur. Unde bene Augustinus *de Prædestinat. Sanct. cap. 2. Cetera potest homo nolens; credere autem non nisi volens.* Et S. Ambrosius super *Epist. Pauli Rom. 4. v. 4. Aut crede- re, aut non credere voluntatis est; neque enim cogi potest ad id, quod manifestum non est.*

Rogas: habetne Ecclesia Romana 46 evidentiæ ejusmodi *credibilitatis* moti- va? habet omnino. *Testimonia ejus cre- dibilia facta sunt nimis. Psalm. 92. v. 5.* Habet à persona Christi Authoris sui: ab integritate & rectitudine doctrinæ: à sanctitate sectatorum fidei nostræ Ca- tholicæ: ex miraculis tot, & tantis, omnibus retrò sæculis in confirmatio- nem fidei nostræ perpetratis: à modo, quo fuit fides nostræ propagata: ex constantia Martyrum pròpe innumero- rum: ab excellentia, & conditione eo- rum, qui nostræ Religionis fuerunt: ex vaticiniis & Prophetiis &c. quæ omnia, apud nostros Polemicos fusius exposita Sagax fidei veræ Indagator re- periet. Et quod præter hæc omnia cre- dibilitatis motiva omnium præstantissi- mum est, *lumen fidei* Ecclesia desuper habet, quod specialiter animam inter- ne illustrat, ut proposita fidei myste- ria evidenter credibilia esse agnoscat: vi-

vide Concil. Trid. Sess. 6. de Justificat. cap. 6. Hoc verò lumine deficiente, nec intellectus de proposita veritate persuadetur, nec voluntas pia motione afficitur. *Etsi DEUS ipse (sunt verba S. Augustini Lib. 15. de Civit. DEI cap. 6.) utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, nec interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis.*

47 Quodsi igitur intellectus, lumine fidei desuper illustratus, proposita sibi Religionis nostræ mysteria credibilia evidenter agnoscat, quid mali facit Ecclesia, quod taliter dispositæ, ac ad credendum debitè comparatæ Conscientiæ fidem imperet? quam non querere, supina ignavia est, quam agnitam non admittere, maxima temeritas est, contra quam niti, summa pertinacia est, in qua amplectenda Libertatem admittere, error inexcusabilis est. Hanc cum imperat Ecclesia, non necessitat *necessitate coactionis, sed necessitate finis*, ut cum S. Thoma 1. part. q. 82. art. 1. C. loquuntur nostri Theologi. Sed audio Bœhmerum ejulantem: *Non sum convictus de veritate Sententiæ contrariæ, aliter judicare non possum, quam secundum principia, quibus imbutus sum. Non possum agere contra Conscientiam, & quæ sunt aliæ barbaræ ejusmodi exclamationes. Bœhmere, præjudicia, quibus animus tuus vehementer occupatus est, sepone, lumen à Patre luminum ardentibus precibus emendica, argumenta Orthodoxorum DD. & PP. examina. Erit, ut, qui splendescere facit lumen è tenebris, tibi quoque illud feliciter illucescere faciat. Erit ut error, qui hæcenus intellectum tuum occæca-*

verat, dissipetur, & pertinacia, quæ in voluntate tua altas radices egit, tanquam hibernalis glacies tabescat. Verum Æthiopem me lavare animadverto. Bœhmerus nihil quidquam movetur. Casus cascam ducit, *Lutherus Bœhmerum. Erro errantem, cæcus cæcum. Quid? (exclamat) ego Pontifici Libertatem Conscientiæ tributariam faciam, qui cogit homines pœnis, malisque propositis, ut aliter sentiant, credant, agantque, quam ratio, & principia Religionis, cui adherent, ipsis dicitur, jubet, & præcipit. Nihil tam voluntarium ait Lactantius lib. 5. de Just. cap. 20. Quam Religionem esse, in qua si animus adversus est, jam sublata, jam nulla est. Et Tertullianus ad Scapulam cap. 2. Humani juris, & naturalis potestatis est, unicuique, quod putaverit, colere. Pontifex nihilominus in eos persecutiones instituit, qui fidei à se propositæ refractarios exhibuere, ferro flammisque in dissentientes sævit. Ipsi etiam orthodoxis Principibus auctor fuit, ut heresim inter crimina publica referrent, pœnisque ultimi supplicii mulcarent. Despoticum, imo tyrannicum hoc imperium quis ferat? Hæc quidem modestius scribere potuisset, Bœhmerus, sed quia non vult deponere errorem Conscientiæ, hinc cruda hac Phrasæologia perpetuo utitur. Mitius, & æquius de Pontifice sentire, & loqui ipsum jam docebo.*

Verum est: Ecclesia frequentius 48 jam exseruit *gladium spiritualem* in fidei contemptores & eversores, adhibito quoque *gladio temporali*, quem Principes politicos in Ecclesiæ hostes stringere jussit. Sed qui illi, in quos Ecclesia imperium merum exercuit? An *Paganis & Judæis, & cæteri infideles*, qui

salutari regenerationis lavacro nunquam tincti, fidem Orthodoxam nondum adepti sunt? Non Oedopol in hos, qui *foris sunt*, gladium suum strinxit. De his gnoma illa ex *Lactantio*, & *Tertulliano* superius adductæ exaudiendæ sunt. Fides enim, ut ait *Clemens Romanus Lib. 9. Recognit.* & *S. Bernardus Serm. 66. in Cantic.* Infidelibus suadenda, non imponenda est. Vis, probem testimonio SS. Canonum: audi *CLEMENTEM III. in cap. 9. de Judeis. Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Judeos ad Baptismum venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit: postquam voluntas ejus fuerit patefacta, Christianus absque calumniis efficiatur: quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad Christianorum Baptismum, non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.* Qui ergo illi, in quos ferro, flammisque sævit Ecclesia? Perinaces, rebelles *heretici* sunt, quibus Decretum est, in antiquis erroribus permanere: hos subinde, ne superstitēs maxima damna Ecclesiæ, & Christiano populo inferant, hos, inquam, Ecclesia judicat, impune è medio tollendos esse, & non modo impune, sed sancte, sed juste, sed gloriose. Quis enim, obsecro, sumptum de sceleratis hominibus justum supplicium, crudelitatem appellabit? si medicus putrida, & emortua membra, quæ toti corpori interitum minantur, non abscinderet: si dominus sceleratos & improbos servos qui domum incendissent, substantiam omnem, & domini fortunas dissipassent, filios trucidassent, nulla pœna afficiendos duceret: si Magistratus latrones, adulteros, homicidas, incendiarios impune in Republica versari pate-

retur, nonne hos omnes crudeles, impios, Republicæ hostes merito dicemus. Quid autem sunt, & fuerunt omnium temporum hæretici, quàm putrida membra Ecclesiæ, quæ subinde, ne suam impetiginem reliquo sano corpori affricent, præscindere oportet. Quid aliud Hæresiarchæ, & qui eorum castra sequuntur, hætenus moliti sunt, quàm ut Ecclesiam erroribus, & armis acerbe, & crudeliter vulnerarent, filios per excogitatas fraudes, & imposturas ab ejus gremio abstraherent, fana incenderent, ipsasque aras Christianorum sanguine cruentarent, & alia sexcenta crudelitatis, & impietatis ederent argumenta. Unde iniquitatis nihil habet, quod Ecclesia ejusmodi pestes, quas salutaribus adhortationibus, pœnisque medicinalibus, ad frugem reducere nequit, potestati laicæ tradat exterminandas. Audiatur *S. Thomas 2. 2. Q. 11. art. 3. C.* ubi hanc Quæstionem: *An heretici sint tolerandi*, sic resolvit, *circa hereticos duo sunt consideranda. Unum quidem ex parte ipsorum: aliud verò ex parte Ecclesiæ. Ex parte quidem ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solum ab Ecclesia per excommunicationem separari, sed etiam per mortem à mundo excludi. Multò enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quàm falsare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur, unde si falsarii pecuniæ, aut alii malefactores statim per Sæculares Principes justè morti traduntur; multo magis heretici statim, ex quo de heresi convincuntur, possunt non solum excommunicari, sed & justè occidi. Ex parte autem Ecclesiæ est misericordia ad errantium conversionem, & ideo non statim condemnat, sed post primam, & se-*

D

cun-

cundam correptionem, ut Apostolus docet: postmodum verò, si adhuc pertinax inveniat, Ecclesia de ejus conversione non sperans, aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separando per excommunicationis Sententiam; & ulterius relinquit eum judicio Seculari, à mundo exterminandum per mortem. Sibi adstipulantem habet S. Hieronymū, qui in Epist. ad Galat. cap. 5. sic scribit: *Refecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed, quia non statim oppressa fuit, totum orbem ejus flamma populata est.* Quæ verba hujus S. Doctoris Gratianus refert. cap. 16. C. 24. Q. 3. non recensebo aliorum Patrum in hanc rem Sententias, quas plena manu exhibet Card. Bellarminus de 49 Memb. Eccles. Milit. lib. 3. cap. 21. Illud Bœhmero condonare nequeo, quod §. 23. scribat, S. Augustinum, qui antecederet hanc coactionem & territionem hæreticorum non probabat, ad mutandam suam Sententiam non RATIONE superatum esse, sed EXEMPLIS, quæ tamen, si cum ratione, & doctrina Christi pugnant, ipsum commovere non debuissent, ut à sana Sententia recederet. DEUS bone! quam inverecundus est Bœhmerti calamus. Hactenus credebatur, omnes Patrum Sententias in scrinio pectoris sui habere reconditas, jam non sine grandi sui prostitutione palam facit, se dictam S. Augustini Epistolam ne quidem à fronte aspexisse. Quid? Augustinus nulla ratione, sed solis exemplis, cum doctrina Christi pugnantibus, inductus fuit, ut hæreticos diceret, cogendos terrendos, puniendos? ut confundatur effrons, &

mendax Bœhmerti calamus, aliqua duntaxat loca ex prolixa illa Epistola Augustini, ad Vincentium scripta, excerpo. Nunquid Sententiam suam probat auctoritate, & exemplo servatoris nostri, de quo ita: *Quis nos potest amplius amare, quàm DEUS?* & tamen nos non solum docere suaviter, verum etiam salubriter terrere non cessat. Fomentis lenibus, quibus consolatur, sepe etiam mordacissimum medicamentū tribulationis adjungens, excurret Patriarchas fame, etiam pios, & Religiosos: populum contumacem pœnis gravioribus agit. Nunquid rursus eandem auctoritatem allegat, dum scribit: *Et putas nullam vim adhibendam esse homini, ut ab erroris pernicie liberetur: cum ipsum DEUM, quo nemo nos utilius diligit, certissimis exemplis hoc facere videas, & Christum audias dicentem: Joan. 6. Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit. Quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum Divinæ iracundiæ timore convertunt: & noveris aliquando furem avertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando Pastorem flagello ad gregem pecora errantia revocare: id quod adductis tam veteris, quam novi Testamenti exemplis in contextu Epistolæ amplius corroborat.* At non ratione simul, & auctoritate Augustinus ducitur, dum ad confirmationem suæ Sententiæ illa verba Psalm. 100. detrahentem proximo suo, hunc persequer, ita exponit: *Aliquando ergo, & qui eam (persecutionem) patitur, injustus est, & qui eam facit, justus est. Sed planè semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos: illi nocendo per injustitiam, illi consulendo per disciplinam, illi immaniter, illi temperanter: illi servientes cupiditati, illi charitati. Nam, qui trucidat, non considerat, quem-*

quemadmodum laniet: qui autem curat, considerat, quemadmodum secat: ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem. --- In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro iniquitate, quis nocendi causâ, quis emendandi? Quid? Augustinus exemplis, doctrinâ Christi repugnantibus inductus fuit? Audiamus rursus Augustinum: Non invenitur exemplum in Evangelicis, & Apostolicis litteris, aliquid petatum à regibus terræ pro Ecclesia, contra inimicos Ecclesiæ. Quis negat non inveniri? atque Boehmere exemplum. Veruntamen (pergit Augustinus) si facta præterita in Prophetis libris figuræ fuerunt futurorum, in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, utrumque tempus figuratum fuit, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum, & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando Rex memoratus pius, & justos cogebat adorare simulacrum, & recusantes in flammam mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulò post in eodem Rege figuratum est, cum conversus ad honorandum DEUM verum, decrevit in regno suo, ut, quicumque blasphemaret DEUM Sidrac, Misac, & Abdenago, pœnis debitis subiaceret. Prius ergo tempus illius Regis significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis: posterius verò tempus illius Regis significavit tempora posteriorum Regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis. Audi porro Boehmere, quam apposita similitudine utatur S. Augustinus, ut demonstret, hæreticos corrigendos, terrendos, puniendos esse. Si quisquam inimicum suum (inquit) periculosis febribus phœneticum factum, currere videret in præceps, nonne tunc potius malum pro ma-

lo redderet, si eum sic currere permetteret, quàm si corripiendum, ligandumque curaret? Et tamen tunc ei molestissimus, & adversissimus videretur, quando utilissimus, & misericordissimus extitisset? Sed plane salute reparata tantò uberius ei gratias ageret, quanto sibi eum minus pepercisse sensisset. O si tibi possem ostendere (scribit Vincentio suo) ex ipsis circumcellionibus, quàm multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam, & miserabilem errorem, quos se arbitrabantur pro Ecclesia DEI facere, quidquid inquieta temeritate faciebant: qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum, quæ tibi displicent, vinculis tanquam phœnetici ligarentur. Omitto alia argumenta, quibus Augustinus in cit. Epistola se motum, & persuasum fuisse fatetur, ut diceret, & doceret, hæreticos ad unitatem fidei, pœnis quoque propositis, esse cogendos. Adducta loca satis declarant, non solis exemplis, & quidem talibus, quæ doctrinæ Christi repugnant, Augustinum fuisse superatum. Unde dicam, quam S. Augustino scribere non erubuit Boehmere, tibi meritissimo talionis jure scriptam habe. Non ratione nititur tua Conscientiæ Libertas, sed solis exemplis, iisque depravatissimis, utpote ab hæreticis priorum temporum desumptis.

Quid adhuc habes, quod contra hunc rigorem, quo Ecclesia in pervicaces hæreticos animadvertit, ogganas? Forte dices: non legimus, primitivam Ecclesiam in contradictores, qui ne eo quidem tempore defuerunt, gladio usum fuisse, & tam asperum in eos dominatum exercuisse. Bene dices: sed audi etiam ejus rei causam. Nondum hæreticorum insania id temporis eò

proruperat, ut contra matrem Ecclesiam gladios arriperet, & principum arma concitaret: Neque etiam ea adhuc tempestate gladii imperatorum serviebant Evangelio, ut dixit *S. Augustinus*, ideo tunc solum gladio *spirituali* in hæreticos animadvertibat: at vero, cum hæresis arrogantius cristas erexisset, potentiorum sibi conciliare animos, Ecclesiæque pacem, & tranquillitatem turbare cœpisset, ab eo tempore Christiani Principes in eos severius esse animadvertendum judicarunt. Hinc Constantinus Arianos, Innocentius I. Cataphrygas, Gelasius, & Anastasius Manichæos exilio damnarunt: hinc Theodosius, & Marcianus Imperatores varia suppliciorum genera adversus hæreticos decreverunt: & quod tandem supplicii genus in tot hæreticorum sceleribus vindicandis tam acerbum excogitari potest, quod merito crudele ap-

pelletur? Neque enim Ecclesia pia mater, sed crudelis noverca dici posset, si has pestes vivere, & inter filiorum latera cum tanto illorum periculo versari pateretur. Esset adhuc aliis argumentis Bœhmeri respondendum, ut, quod proponit de *Atheismo*, de *persecutione tyrannorum* &c. sed satis jam ex paulo ante adductis retusa ejus jacula fuisse, existimamus. Suo subinde jam damno sentiat, quàm verè de illis, qui *Petram* firmissimam, Romanam Ecclesiam, impie nituntur concutere, illud sit dictum:

IN DURUM LAPIDEM
QUISQUIS SUA SPI-
CULA TORQUET,
IN CAPUT IPSIUS
SÆPE RETORTA
CADUNT.

§. IV.

In quo vera Conscientiæ Libertas consistat?

SUMMARI A.

50. *Libertas cum servitute stare potest.* 51. *Servire fidei, & Ecclesiæ legibus est vera Conscientiæ Libertas.* 52. *Quomodo Conscientia dicatur libera, fidei se submit- tens?* 53. *Fides Bœhmeri, & aliorum Novatorum hac Libertate non gaudent.* 54. *Quomodo Conscientia dicatur libera, quæ se Legibus Ecclesiæ subjicit?* 55. *Hæretici non possunt se vocare servos DEI.* 56. *Quàm caro ipsis stet sua libertas, ex S. Bernardo ostenditur.* 57. *Conscientia Bœhmeri indurata ostenditur.* 58. *Fine tamen suo labor noster frustratus non est.*

50 **H**unc Paragraphum paucis absolvimus, dicendo, veram *Conscientiæ Libertatem* consistere in *servitute*. Paradoxa loqui videbor, ut qui *Libertatem* in eo constituo, quod *libertatem* perimit. *Servitus & Libertas* se

invicem nihilo magis compati possunt, quam *Lux, & Tenebræ*: veluti ergo istæ disparent, adveniente luce; ita *Libertatem* extinguere necesse est, ubi *servitus* inducitur. Ita quidem illis videri poterit, qui *libertatem carnis* præhabent *spiritus*